



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

19 De fastorum dierum apud Christianos celebratione, deque eorum
origine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

mensis, qui est *Xanthicus*, primū in festiuitatibus definiuit, in quo ex Aegypto Hebraeos eduxit. Hic autem apud cum etiam in cunctis muneribus diuinis valde pollebat, in venditionibus autem, & emptionibus & alia gubernatione prioris saeculi decreta seruauit. Hec Iosephus. Apud quem Diuum mensē cum intelligo, qui apud nos est Nouember ex Eusebio lib. 8. *ecclēsiast. ex Græco Codice fol. 92. Anselmo lib. 2. de imagine mundi. c. 6. & Suida, qui scribit, hunc mensē esse primum apud Macedones. & constat Octobrem esse vltimū. Quod & nos obseruauimus superius ca. 14. n. 12. quo fit, vt Græcus Plutarchi Codex in Arato sit emendandus, vbi *Daglus mensis* Macedonum confertur Nouembri Atheniensium: est etenim scribendum, Dius mensis, non *Delius* qui Iunio respondit, non Nouember ex eodem Suida, & Eusebio, in loco proximè citato. Quamuis idem Plutarchus in Alex. mensē, qui à Macedonibus *Lous* dicitur, & Augusto cōuenit, ex Euagrio lib. 5. cap. 9. Suida, & Demosthene in oratione de corona, vbi illum contulit *βροδρακίων* Atheniensium, cōferat in *αεσπασίων*, id est Iunio. Vnde tandem Plutarchus in hac mensium collatione ab aliis dissentiat, vel codicis sit vitium, quod magis applaudet. *Xanthicus* vero mensis apud Macedones respondet nostro Aprili ex eodē Eusebio in d. lib. 8. fol. 91. & 92. & lib. 3. c. 8. Socrate li. 5. c. 22. Euagrio lib. 4. c. 9. Anselmo in d. c. 6. ex Iosepho Græco lib. 6. cap. 31. & Latino lib. 7. de bello Iudaico. c. 12. Idemque Suidas adnotauit, Secundo equidem mensē diluuium contigisse plane probatur *Genes. c. 7. & 8.* At Iosephus secundum mensē illum fuisse asseuerat, quem Macedones Diuum appellat, quem nos Nouembrem dicimus: erat igitur tunc primus anni mensis Octobris, id est, lunatio illa, quæ proximior eo tēpore fuit *Aequinoctio Autumnali*, quod licet hodie propter anticipationem contingat mense Septembris, olim tamen Octobri nostro respondebat: sicuti Ioan. Lucidus, & alii docere conantur: etiam eadem ratione docentes, olim *Aequinoctium vernum* nostro Aprili conuenisse, modo vero Martio conuenire. Hinc apertissime deducitur, Regem Alfonso in hac præfatione minime obseruasse initium anni Hebraici ab æquinoctio verno, nec ab æquinoctio Autumnali: fortassis ex eo, quod apud Hebraeos quæuis quo ad res sacras, & conuentiones, ac contractus essent certa cuiusque anni principia, tamen quo ad numerum dierum quidam anni maiores, quidam vero minores erant: & præterea propter mutationem lunationum, anticipationem æquinoctiorum, & varia mensium initia, non poterant non esse annorum primi dies incerti. Adhuc tamen potest defendi huius præfationis dierum supputatio, qua in adnumerandis annis ab Adamo, & à diluuiū vsus est sapientissimus Rex Alfonso: nisi premitamus, Regem Alfonso initium anni ab æquinoctio verno, quod Astronomis est in vsu, obseruasse, annoque constituisse paulo minores Romanis, ita quidem, vt mille & quingentis annis, dies fere quinquedecim super sint ex Iulii Cæsaris obseruatione. Fortassis in supputatione, que fit ab Adamo in hac præfatione, dictio illa, *Docientos*: fuit mutata à suo loco à scriptore: atque ideo erit legendum: *La Aera de Adam en cinco mille docientos y noventa y siete años Hebraicos y ochenta y siete dias.**

Subsequitur in eadem præfatione numerus annorum ab Imperio Magni Nabuchodonosor ad principatū Regis Alfonso, & connumerantur anni mille nongenti nonaginta octo, quibusdam additis diebus: & sane iuxta supputationem Driedonii adnumerantur anni mille octingenti sexaginta sex. Vnde nec in hac chronologia fuit vera temporis ratio in eadem præfatione obseruata: nam ex Eusebio Bedæ, Io. Lucido, & aliis minor aliquantulum annorū numerus deducitur, quam fuerit à Ioan. Driedonio supputatus. Est igitur error in hac adnumeratione ex centum & triginta annis.

Ex Philippo denique Macedonum Rege ab eodem Alfonso ratio temporis sumitur ad numerum mille quingentorum sexaginta quatuor annorū: in qua error est: nam auctoribus Eusebio, & sequacibus, Philippus regnare cepit anno 3. 104. Olympiados: aut secundum Diodorū Siculum, & Laertium, in vita Xenophontis anno 1. 105. Olympiadis, regnauitque viginti sex annis. At Redemptor noster Iesus Christus natus est anno quarto centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis, auctore Lucido: aut anno tertio, auctoribus Eusebio, Clareauro, & Haloandro. qua ratione ab initio principatus Philippi ad Christum sunt anni fere trecentum sexaginta: & ab eodem Philippo ad Regem Alfonso

mille sexcenti, & vndecim anni. Huic errori accedit & alter, ex quo duo tantum anni adscribuntur imperio Philippi ante eius filium Alexandrum, quod est ab omnibus historicis alienum. Non me late t, in historia huius Regis Alfonso, & in historia Fernandi quarti, & Sancti iudem quartum, rationem temporis ita describi, vt anni vndecim tantū tribuantur Philippo Alexand. Magni patri, qua ratione foret legendum in hac præfatione: *La Aera de Philippo el gran Rey de Grecia en mille quinientos y tres años Romanos*

Sed & in Alexandri Magni principatu subest error in ratione temporis, que in eadem præfatione traditur: siquidē Alexander cepit regnare ante Christi aduentum anno tricentesimo tricessimo quinto, & ante principatum Alfonso Regis anno 1585. vnde Aera ab Alexandro Magnō hac in præfatione adnumerata, ex annis mille quingentis sexaginta duobus erit iuxta præscriptum numerum corrigenda. Annos vero Alexandri Magni idem Rex Alfonso in tabulis ab Octobri ex Græcorum more incipientes adnumerat. Aera vero Cæsaris ex annis mille bis centum octuaginta nouem, optime conuenit anno Domini 1251. quod & nos obseruauimus *lib. 1. Var. res. ca. 12.* atque ideo nullus subest error in hac supputatione, qua ab Aera Cæsaris in eadem præfatione fit. Aera etenim Cæsaris triginta octo annis præcedit Christi natiuitate: secundum omnes, imo ipso Rege Alfonso auctore in tabulis, additur his triginta & octo annis dies vnus. Ex quo intelliges, quam ratione in hac præfatione ab Aera Natiuitatis adnumerentur centum quinquaginta duo dies ad initium Regni Alfonso, & ab Aera Cæsaris centum & quinquaginta tantum.

Ceterum in supputatione, qua fit in eadem præfatione ab Aera Arabum, & Mahumeti, an subest error aliquis, inquirendum erit prius constituto tempore, à quo Arabum anni inceperint. Nani si Arabum initium deducitur ab anno Domini 626. quemadmodum ex Sabellico in eadem præfatione obseruauit Gregorius, error subest in computatione, quia non conueniunt anni Domini mille ducenti quinquaginta & vnus, annis Arabum sexcentum vigintinouē aut fere triginta Ego sane arbitror, nullum subesse errorem, hac in parte in dicta præfatione: quod probabitur, si constituerimus, initium Arabum anno Domini 622. ita vt annis 22. post sexcentisimum sit primus in Arabum chronologia: quod Ioan. Lucidus expressim adnotauit in chronicis. Et probatur autoritate Roderici Archiepiscopi Toletani, *lib. 3. cap. 18. & 19.* Vbi annus Arabū nonagesimus primus adscribitur anno Cæsaris 750. & annus Arabum 92. anno Cæsaris 751. & rursus annus Arabum 93. anno Cæsaris 752. Ex quibus ad veram adnumerationem deductis constat, Arabum Aera incepisse anno Dom. 622. Cui opinioni accedit historia eiusdem Regis Alfonso decimi, & Sancti eius filij, quarum c. 1. anni Arabum iuxta eandem rationem adnumerantur: sicuti in hac præfatione, in qua anni Arabum 629. denique triginta, conueniunt anno Dom. 1251. ac fere 2. Sic sane apud Roderic. Toletanum in l. 3. c. 17. dum legitur: Arabum vero 91. Aera 749. est omnino legendum, Arabum vero nonagesimo, Aera 749. Alfonso episcopus Burg. ca. 44. & Matth. Palmerius Arabum Aera adnumerant ab anno Dom. 623. Ilidorus Paten. ab anno Domini 617. Floren. ab anno 640. Anto. Beuter ab anno Do. 593.

Verum in huius Regni Castellani chronicis, in quibus similis fere huic chronologia traditur, passim diligēs lector errores in ratione temporum obseruanda deprehendet, vel scriptorum vitio aut ignorantia eorum, qui abique exactissima temporum cognitione easdem historias in publicum emisere. In omnib. etenim, quas ipse legi, huius Regni chronicis, memoria tenet, huiusmodi errata non semel obseruasse.

CAPVT XIX.

De festorum dierum apud Christianos celebratione, deque eorum origine.

SYMMARIA.

- 1 Festorum dierum celeberrima iure diuino veteris testamenti instituta sunt.
- 2 Præceptum decalogi de Sabbatis sanctificandis, partim est morale, partim ceremoniale.
- 3 Præceptum hoc, quia ex parte morale consistit, est & iuris naturalis.
- 4 Festorum obseruatio etiam est iure diuino euangelico instituta.
- 5 Qui vero dies sint à Christianis religionis causa obseruandi, ad ius Positive humanum pertinet.

- 6 An diei Dominica celebratio sit iure diuino, an Pontificio humano instituta.
 7 Quibus diebus prohibita sit genyflexio in precibus Deo exhibendis.
 8 De origine aliquarum festiuitatum, qua Christianis solenne sunt, & olim fuerit.
 9 In his festiuitatum celebrationibus, qua nunc ratione dies consideretur.
 10 De perurgationibus, & nocturnis sacrificiis.
 11 Hoc sanctificationis dierum precepto, externus cultus, non internus precipitur.

Festi dies olim apud Gentiles dicebantur, in quibus vel sacrificia dijs offerre gentes consueuerunt, vel ludi in honorem dierum fiebant, vel ferix obseruabantur: aut sane alicuius publicæ latitiæ, boniue euentus causa diuturnis e-pulationibus celebrabantur solennitates quædam more maiorum institutæ. Verum apud Christianos dies festi dicuntur, in quibus ferari oportet, quod & gentilibus solenne itidem erat, vt veri Dei agnitione, animoque interiori cultu instituto, quod mente complexi sumus, exteriorum cultum Deo exhibendo sancte, & pie præstemus. Est igitur hac in re, vt in plerisque, maximum inter nos & gentes discrimen: quod illæ animorum insipientia, tenebrisque illu-sa, festa quædam agere solebant, superstitiosa quadam religione conuictæ, in deorum quorundam celebritatem, quos ante veram Christi lucem sinnerat sibi quisque, demone semper humanum genus, vt eius officio, & impio munere fungeretur, miris præstigijs infestante. Nos vero, qui Christi fidem profitemur, festa quidem agimus in hoc vnum intenti, vt Deo vero, quem vnum in trinitate patris, filii à patre geniti, & Spiritus sancti ab vtroque procedentis, pio, ac sanctorum Christianorum consensu tota mente, & anima predicamus, verum cultum internum inquam, & externum exhibeamus, cuius instituti antiquitatem & originem libuit ex sacra scriptura, & ecclesiasticis traditionibus breui quadam obseruatione adnotare ad veram Pontificij interpretationem, vt rationem ipsam perseruetur, qua in his festis, ac celebritatibus instituendis vsi fuerunt olim, & nunc sanctæ, & pie vtuntur ecclesiæ catholice prælati Romanum Pontificem, qui primatum obtinet, secuti.

Prima conclusio: Festorum dierum celebritas religionis causa iure, ac lege veteris testamenti instituta est diuina institutione, ex tertio Decalogi precepto. Hoc probatur ca. 3. Deut. Exod. 21. & 38. Ezechiel. 20. quibus in locis constat, ex lege veteri præceptum esse, vt Sabbata sanctificarentur. *Sabbatum* enim apud Hæbræos requiem significat, aut ab opere cessationem: atque ideo dies septimus hebdomadæ dictus est *Sabbatum*, quod fuerit in requiem destinatus. Septimus dies, inquit dominus, erit vobis sanctus, *sabbatum*, & requies Domini. Sed & *sabbatum*, latius accepta dictione, totam hebdomadam postea significauit. Sic etenim *Luca cap. 18.* scriptum est. Ieiuno bis *sabbato*, vt illic interpretes adnotarunt, tametsi proprie hebdomada constabat ex *sabbato*, & *Prima*, *Secunda*, & *Tertia*, *Quarta*, *Quinta*, & *Sexta* *sabbati*, auctore Hieronymo, *questio. 4. ad Hedibiam*. Vnde illud apud Ioannem. *cap. 20.* Vna autem *sabbati*, & *Luca 24.* atque item *Marci. 16.* & valde mane vna *sabbatorum*, & apud *Matthæum cap. 28.* *prima sabbati*, diem, quæ nunc *dominica* est, & tunc erat *prima post sabbatum*, significat: vt ibidem post alios Caiet. interpretatur. Eadem ratione dicimus & nunc *Secundam feriam*, *Tertiam feriam*, *Quartam feriam*, *Quintam feriam*, *Sextam feriam*: à *prima* quæ dies *dominicus* est numerum deducentes: *sabbatum* vero, quod est septima feria, nomine veteri appellamus: ex institutione beati Syluestri auctore *Beda lib. de temporib. ca. 18.* *Thoma Vualdensi de sacramentalibus. c. 140.* Et constat ex vita eiusdem Syluestri è Græco in Latinum traducta, & typis tradita, opera & cura *Aloysij Lippomanni*, quinto vitarum tomo. Iudei sane omne festum *sabbatum* nuncupabant ex eo, quod *sabbath* requiem sonat: quem admodum adnotarunt *Theophylactus*, & alij *Luca cap. 6.* idem sensit *Chrysostomus Homilia 40. super Matth.* qui equidem auctores apud *Lucam in dict. cap. 6.* *sabbatum* secundo primū, hoc est, *ἡμέρῃ ἀργίας*, intellexerunt, quādo quies, atque otium duplex erat tam *sabbati domini*, quā solennitatis alterius præcedentis: quia plerumque incidebat festum in *parascenon*, & tunc *parascenon* vocabatur *sabbati* propter festum: & quod proprie *sabbatum* erat, nominabatur *secundum primum*, quod *secundum* esset ab altero festo, & *sabbato*, quod præcesserat. Tametsi Caietanum locum illum aliter, & fortassis recte interpretatus fuerit, scribens, *sabbatum*, secundo primum dici vltimum diem festiuitatis

ex multis *sabbatis*, vbi asseuerant *sabbatum* illud fuisse primam diem *Azymorum*, ex eo quod primus esset ab *Azymis*. Secunda vero *Passche*, quæ inceperit decima quarta Luna, prima vero dies *Azymorum* decima quarta profecto *Chrysestomus in d. homil. 40. in Matth.* scribit *sabbatum* secundo primum esse diem in quo quies & otium duplex erat tam videlicet *sabbati proprii* quam solennitatis in eo incidens nempe quando in *sabbatum* proprie dictum alta incedebat solennitas. Tertio igitur decalogi precepto affirmatiuo exterior præcipitur Dei cultus, nempe corporalis requies, & cessatio ab operibus seruilibus ad famulandum Deo, & vt liberi ab operibus profanis ad famulandum Deo, illi exhibeamus, exteriorum inquam, sub quo nobis, qui sensibiles sumus, proponitur interior cultus, vt meditatio, mentalisque oratio, exterarum rerum similitudinibus. Sic per exteriorum thurificationem inuisitumur, quem admodum orantis mens in Deum sit eleuanda.

Secunda conclusio: Præceptum decalogi de *sabbatis* sanctificationis partim est morale, partim ceremoniale. Hanc conclusionem asseuerat *S. Thomas 1. 2. questio. 100. artic. 3. ad 2. & 2. questio. 122. articulum. 4.* quem omnes Theologi secuti sunt. Est enim hoc præceptum morale, vt omnes homines, cum iure teneantur vnum Deū colere, tēpus aliquid quod debeant secerne, atque ab alijs profanis actibus eximere, Deo que colendo dicere, vt illi cultum exhibeant, illumque venerentur. Nam & *Plates inquit Psal. 45. Vultus eius videte, quoniam ego sum Deus.* Eadem conclusio probatur ex eo, quod præcepta decalogi omnia præcepta moralia sunt, sed ad illa decem omnia præcepta moralia veteris legis reducuntur, auctore duo *Thoma in d. questio. 100. art. 3.* cuius rationes expendit diligenter *Dominicus Soto lib. 2. de iustitia & iur. questio. 3. art. 3. idem probauerat Thom. questio. 99. art. 2. & questio. 100. art. 2.* Hoc tandem morale præceptum in eo situm est, vt homo, qui corpore constat & anima, aliquo saltem destinato tempore, & corpore & animo ferietur, atque interquiescat, intentus sane laudi, contemplationi, ac venerationi Dei omnipotentis, vt corpus labore fatigatum alterna requie non careat, & ipsa mens ab externis laboribus immunis, & libera diuina legis meditatione, rerum que diuinarum memoria & recordatione refectā, gratias agar Deo optimo maximo, à quo tanta, & tot beneficia gratuito accipit. Est vero hoc præceptum ceremoniale quantum ad certum tempus, quo ferari non oporteat, & cultui diuino vacare, atque indulgere: sic sane quod vel hoc die, vel illo celebratur festum, ad ceremoniale legem pertinet, & ratione apud Iudeos *sabbati*, quod erat septima dies, requies, & ab omni opere cessatio præcepta erat ex lege ceremoniali varijs excusis, quas sancti Doctores passim explicant, & nobis tradidere, vt veteris legis rationem minime ignoremus, quamuis ad eius obseruationem nequaquam teneamur.

Tertia conclusio: Præceptum hoc fide festis diebus celebrandis, qua ex parte morale cõsetur, est & iuris naturalis: hæc probatur, quia omnia præcepta moralia sunt iuris, & legis naturalis, auctore sancto *Thoma 1. 2. questio. 100. art. 1.* ex *Paulo ad Roma. c. 2.* vbi inquit, Gentes naturaliter ea, que leges sunt, faciunt explicat *Dominicus Soto lib. 2. de iustitia & iur. q. 3. art. 1.* Hoc vero præceptum partim est morale: consequitur ergo, ea ex parte iuris naturalis esse, & ad legem naturalem pertinere. Huic rationi & alia accedit, quod omnes gentes solo lumine naturali, solisq; viribus naturalibus potuerunt verum Deum cognoscere, ea quidem cognitione, que tendit in finem naturalem: non inquam totā Dei virtutē, & essentiam cognoscere, sed per hæc visibilia apprehendere, quod sit Deus, & vnus, & prima rerum omnium causa, & supremus omnium finis. Sic diuus *Paulus* ad *Rom. 1.* obiurgat philosophos, quia quod notū est Dei, id est, acuminem naturalem de Deo est cognoscibile, manifestum est illis, id ipsum veteres Theologi probant, presertim *Lactantius Firmianus lib. 1. diu. instit. cap. 4. cum sequentibus*, ex testimonio veterum philosophorum, quorum diligenter meminit *Augustinus Enchiridion lib. 3. de perenni philosophia*, Ac rursus idem instituti profequitur *lib. 4. c. 6.* sed & diuus *Thomas* hoc ipsum probat in *part. 2. q. 12. art. 2.* Cum vero inquit *Lactantius*, ipsos Deorum cultores sæpe videamus Deum summum, & conlteri, & prædicare, quam sibi veniam sperare possint impietatis ille, qui non agnoscat cultum eius, quem profus ignorat ab homine nefas est? Quod si lumine naturali vnus & verus Deus cognosci poterat, eodem iure qui Deum verum

& vnum cognouere, tenebantur dubio procul eidem cultui aliquem exteriorem exhibere, vt mente, & animo illi essent inuenti, quem per actus exteriores religiose venerabantur. Docet enim lex nature, religionem colendam, & ceremonias obseruandas fore. Hac ratione gentes, quæ de ceremoniarum obseruandis deceptæ, prauisq; moribus institutum illationibus deceptæ Dei optimi maximi permiffiones, & ea ex causa obsecrata Dei optimi maximi permiffiones, minime Deum vnum, & verum cognouerunt, ab illo naturali lumine deficientes, quo illum cognoscere poterat, & illi, quos falso sibi finxerunt, quosq; veros esse censebant, cultum exteriorem exhibentes, dies quosdam facerent, ac festa quadam quolibet anno celebranda inuenientes, superstitiose nimis obseruabant non alio iure, quam vt Deos, quos veros esse existimabant, cultu exteriori in aliquo tempore ab operibus seruilibus liberi colerent, ac venerarentur: qua de re multa ex varijs auctoribus diligenter Gregorius Gyraldus scripsit in eo libro, quem *de diis gentium* nuper elaborauit. Sed & Columella *lib. 2. c. 11. m. 1.* tradit quæ veteres gentium Pontifices diebus festis fieri prohiberent, & permitterent.

Quarta conclusio: Festorum obseruatio non tantum iure naturali, ac diuino veteris testamenti, sed & diuino legis euangelicæ instituta est, & vim obligationis obtinet. Hac probatur ex præcedentibus. Nam si hoc præceptum est iuris naturalis, & morale veteris legis, optime consequitur, & esse diuinum legis euangelicæ: siquidem lex euangelica continet tantum ea præcepta, quæ naturalia, vel moralia sunt, & quæ ad sacramenta pertinent: quod deducitur ex his quæ tradit S. Thom. *1. 2. q. 108. art. 1. & 2. idem quodlib. 4. art. 13.* Et enim licet ceremonialia & legalia veteris legis cessauerint nona lege euangelica, eiusque institutione, ac promulgatione: moralia tamē, & naturalia minime cessauerunt: imo ea ex parte, quæ præcepta veteris legis moralia erant, & iuris naturalis, etiam si lex vetus data non fuisset, à Christo confirmata fuere non ex vi veteris legis, sed ex vi naturalis, ac moralis instituti: scriptum est enim *Matth. 19. si vis ad vitam ingredi, serua mandata. idē Marc. 10. & Luc. 18.* Hinc deducitur vera interpretatio cõciliij Triburienfis, à quo respositum est, veteris, & noui testamenti pagina septimū diē ad humanam quietem specialiter lege deputatum fuisse. *c. licet. de feriis.* Nā veteri lege, quæ ex parte ceremonialis erat, dies septima præcipitur obseruari vti sacra, & cultui diuino, deputata: quæ vero ex parte moralia lex vetus continebat, sub diei septimæ præcepto intelligitur, ac significatur, tēpus aliquod cessatione operū seruilium signandū esse, quo cultui diuino fideles, & Christiani operam dare teneantur. Sic sane lex diuina veteris testamenti quoad ceremonialia diē septimā deputauit quieti & cultui diuino, quoad moralia tēpus ali quod arbitrio Pontificū definiendū significabat sub septima diei nomine: & licet ceremonialia cessauerint, moralia tamen non cessant, imo lege diuina euangelica comprobantur: atque ideo dies septima sacra censetur lege veteri diuina noui testamenti quo ad morale significatiōnem: quæ nusquam cessauit, nec cessat: quia naturalis est institutio. Quæ de re nos tractauimus *lib. 1. Variar. resolut. ca. 18. num. 1. & 2.*

Quinta conclusio: Quamuis huic præcepto de diebus aliquot religionis causa Deo sacrandis, cultuique diuino constitutendis, iure humano, etiam Pontificio derogari nō possit, qui tamen dies, & quot sint huic munerī, & ea ex causa quieti otioque ab operibus seruilibus præsignandi, vere ad legem humanam Pontificiam pertinet. Huius assertio prior pars ex eo constat, quod hoc præceptum ea ex parte sit morale, iuris naturalis, legisq; diuinæ euangelicæ, quibus lege humana derogari non potest. *§. sed naturalia. Instit. de iur. natur. gent. & ciu. adnotauit Gratian. in prin. 5. distin. S. Tho. 1. 2. q. 85. art. 5. Fortun. in l. vlt. ff. de iustit. & iur. eorum. 7. nos idem probauimus in quartum decretal. 2. part. c. 6. §. 9. num. 2.* Et præterea Decalogi præcepta, quæ ex parte moralia, & naturalia sunt, nullam patiuntur dispensationem: quemadmodum docet S. Tho. *1. 2. q. 100. art. 8.* quæ optime interpretatur Domin. *Sot. li. 2. de iustit. & iur. q. 3. art. 8.* ergo cum præceptum iuxta sensum huius conclusionis in priori eius parte, sit morale, & naturale, nullam poterit pati dispensationem, saltē ad hoc, quin homo teneatur tempus aliquod, seu dies sed horas diuino vacare cultui, & religioni. Vnde quo ad illud effectū non exigimus necessario dies integros, quāuis conclusio dierum meminerit ad seruandam legis veteris li-

teram, quæ sensim tempus aliquod, quo Dei vacemus cultui significat. Posterior conclusionis pars satis probatur ea ratione, quod in ea parte lex fuerit ceremonialis, & ideo cessauerit legis euangelicæ institutione: lege vero euangelica, & naturali nulli fuerunt dies otio deputati ad vacandum religioni & cultui diuino: quod satis constat ex ipsa euangeliorum lectione. Quo fit, vt quobusdam visum fuerit, iure humano Pontificio dies festos, quos nunc ex ecclesiæ institutione celebramus, mutari omnino posse, aut denique tolli, modo tempus aliquod commode constituitur, quo ab operibus seruilibus vacantes feriemur, & Deo cultum exteriorem exhibeamus: quia dies festi, quibus Christiani religionis causa feriamur, iure humano Pontificio sunt instituti: quod probant S. Thom. *2. 2. q. 122. artic. 4.* Florentinus *2. part. tit. 9. capit. 7.* Archidiac. & Card. S. Sixti in capit. *1. de consec. dist. 3.* Ioannes Maior in *3. sentent. distinct. 37. question. 27.* Imo ipse Thomas expressim asseruerat, 7 diem Dominicum iure humano & ab ecclesia institutum esse ad hoc, vt diuinis officiis, & religioni vacemus: quæ in re Anchar. Anton. & Ab. in capit. *3. de feriis.* existimant, diei Dominicæ festum iure diuino institutum fuisse. Idem probant Angel. in verbo, *feria. §. 3.* & Syluester verbo, *Dominic.* qui hanc opinionem communem esse testatur. Cuius probationi illud potissime suffragatur, quod à seculo vsque Apostolorum dies Dominica fuerit ab Ecclesia catholica in honorem Dei celebrata: ex Paulo *1. ad Corinth. capit. 1.* Nam de collectis, inquit, quæ sunt in sanctos sicut ordinari Ecclesiæ Galatia, ita & vos facite per vnam Sabbati. Quo in loco Chrysostomus, Ambrosius, Remigius, & alii, vnam Sabbati Dominicam diem interpretantur. Imo & illic Primasius commemorat diei Dominicæ celebritatē ab Apostolis descendisse ex testimonio Diui Ignatii *Epist. 3.* qui fere tempore Apostolorum floruit sanctitate, & doctrina illustri. Idem sensit Augustinus *Epistol. 119. ad Ianuarij question. capit. 13.* scribens, Dies tamen Dominicus non Iudæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo habere cepit festiuitatem suam. Hæc Augustinus, & ex quo obseruari poterit ratio, quare Sabbatum in diem Dominicum mutatum fuerit. Nam ratio illa commemorandi beneficium creationis in festiuitate eius diei, in qua Deus ab illa requieuit, mutata est in beneficium recreationis, quæ facta est à Christo per gratiā, & absoluta fuit die Dominico per eius resurrectionem: fuitque illa lux in statu gratiæ prima, multo præstantior illa, de qua tunc dictum est: fiat lux. Et præterea olim in lege veteri tradita fuit celebratio Sabbati quod erat requies mortuorum: resurrectio autem nullius erat vsque ad Christum Dominum, qui die Dominico resurgens fecit, vt dies hic olim octauus, nunc in lege euangelica sit primus, Sabbato in festiuitate succedat. idem August. in *Epist. 85. ad Cæsarium.* Præponitur, inquit, dies Dominicus Sabbato fide resurrectionis. Hæc & Hieronymus scribit *lib. 1. de offic. ca. 24.* multa Thom. Waldensis *de sacramentalib. tit. 16. ca. 140.* qui probare conatur, diei Dominicæ festiuitatem ab Apostolis institutam fuisse. Tertullianus aduersus gentes *c. 16.* proxime his accedit dicens: Æque si diem Solis latitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam religione Solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi à Iudaico more, quem ignorant. Diem Solis Tertullianus intellexit diem Dominicum: vt & Imperator in *l. omnes iudices. C. de fer.* Quo in loco & Theodosius Cæsar in *l. omnes dies.* id evidentius explicat. adnotauit Ange. Politianus *libro miscel. ca. 8.* ex Dione *lib. 37.* id ipsum obseruari poterit ex Euseb. *lib. 4. de vita Constantini Magni. Sozomē. lib. 1. c. 8.* Callodoro *lib. 1. c. 10.* Nicephoro *lib. 7. cap. 49.* Quibus minime citatis Ludou. Celius idem tradit *lib. 7. c. 41. & 42.* Sic & hoc ipsum traditur in vita B. Syluestri Græce quidem scripta, in Latinum vero traducta opera Aloisii Lipomani *5. Tomo.* Dominicam vero diem hoc nomine primam Sabbati, primam, inquam, hebdomadis diem significat Diuus Ioan. *Apocalyp. capit. 1.* Sed & diem Saturni Sabbatum esse constat ex Dione. Reliqui vero dies adhuc apud nos Planetarum nomina retinent. Idem fere constat ex Iustino Martyre in secunda oratione pro Christianis, vltima pagina, qui diem Solis à Christianis celebrari ex eo tradit, quod illo die Deus mundū effecerit, & eodē Iesus Christus à mortuis resurrexit, & addit pridie Saturni Christi cruci affixū fuisse, & postridie Saturni, qui dies Solis est, surrexisse. Nec quicquā oberit, quod authoribus Eusebio, Sozomē. & aliis, Constantinus Magnus lege lata definiert diei Dominicæ celebrati.

celebritatem. Etenim legem illam tulit Constantinus generalis, & vniuerso Romano orbi huius diei festiuitate mandixit, Apostolicas traditiones imitatus, non quod tunc apud Christianos ceperit hic dies celebrari, sed ante Constantinum celebrabatur ex institutione Apostolorum à Christianis, non ex lege Casarea, quæ tunc vtilis, ac necessaria fuit, vt subditi Romano Imperio ex edicto Casaris diem illum colerent diligentius & cautius, ne Casari foret rebelles, sed ex lege Apostolica, cui plures refragari non verebantur. Leo etiam Tribunius Imperator auctore Theodoro lectore, multo post Constantinum Magnū eandem legem denuo repetitam, Romanis, eorumque provinciis dedit, non equidem nouam, sed veteris memoriam renouantem. Huic rationi accedit, quod Origenes contra Celsum festiuitatis diei Dominicæ meminit. Tertullianus de corona militis, rursus in *lib. ad vxor. em.* Hieronymus aduersus Vigilantium, & Iustinus Martyr in questionibus à Christianis positis *quæst. 115.* ex Irenæo referens, diem hunc ab Apostolorum temporibus celebrari quodam aliorum dierum discrimine, quod hic dies sit nostræ resurrectionis significatio, quæ Christi benignitate, & à peccatis, & à morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus, per Christi resurrectionem. Vnde sempiterna memoria, inquit Iustinus, recollere debemus, & casum nostrum in peccatum, & Christi in nos charitatem, quæ ex causa surreximus: idcirco genu flexio, quam sex diebus adhibemus, casum nostrum in peccatum significat: non flexere autem genu die Dominico, resurrectionis nostræ est significatio. Hæc autem consuetudo ab Apostolorum temporibus cæpit, quemadmodum ait Beatus Irenæus Martyr & Lugdunensis Pontifex in libro de Pascha, in quo mentionem Pentecostes facit, in qua genu non fleximus, quod eodem loco habenda sit, quo Dominicus dies, ob eam causam, quam de eo diximus. Hæc Iustinus. Obiter tamen admoceo lectorem, me maxime dubitare, an opus illud fuerit à Iustino Martyre scriptum, qui etenim fieri potest, Iustinum citare Irenæum, qui, vt ipse ex Eusebio, Hieronymo, Nicephoro, & aliis coniecto, post mortem ipsius Iustini floruit, & scripsit, saltem martyrio coronatus est: atque ideo à fide historie alienum est, quod Iustinus Irenæi iam Martyris, & mortui meminerit. Ipse vero Irenæus in quinto aduersus hæreses Iustini meminit, & eius operis, quod contra Martionem hæreticum scripsit teste Hieronymo. Sed & Eusebius in Chronico multo ante Irenæi martyrium, ipsius Iustini mortem, & agonem pro religione Christiana contigisse tradit. Preter hæc in eodem opere citatur Origenes *ca. 82. & ca. 86.* qui dubio procul post Iustini martyrium claruit: imo & natus est, quod ex Hieronymo, Eusebio, Hermanno Contracto, & Nicephoro constat: nec istius operis meminere Hieronymus, Eusebius, Nicephorus, & sanctus Plotius, & alii qui Iustini scripta, & libros adnauerunt. Idem vero Iustinus in Dialogo cum Triphone de die Dominico, in quo Dominus noster Iesus Christus surrexit à mortuis, quem vnum Sabbatorum nominat, scribit: Vnus enim Sabbatorum dies, cum primus maneat dierum omnium, omnium rursus dierum, qui in orbem reuoluuntur, enumeratione octauus vocatur, idemque primus manet. Hæc Iustinus aduersus Iudæos. His denique veluti per transennam, digressionem quadam obseruatis, diem Dominicum rursus repetentes libentissime adducemus in signum, Iustinoque aptissime conueniens Diui Basilii testimonium: *is, inquam, in lib. de Spiritu sancto, cap. 27.* traditiones ecclesiasticas, & Apostolicas mire commendans inquit, & erecti periculis preces in vna Sabbati, id est, die Dominico: rationem autem non omnes nouimus. Non enim solum vt qui surreximus cum Christo, & qui superna querere debeamus, in resurrectionis die datæ nobis gratiæ, per hoc quod stamus in precando nos ipsos commonefaciamus: sed quod etiam venturi seculi is dies quodam modo imago esse videatur. Qua propter etiam cum principium sit dierum, non prima à Mose, sed vna appellata est. Factum est enim, inquit, vespere, & mane dies vna, velut eadem sepe reuoluatur, vna itaque eadem est octaua, vnam reuera, ac veram octauam, cuius Psalmographus in quibusdam Psalmorum inscriptionibus meminit, per se ipsam demonstrat statum videlicet, post hoc tempus, diem non desitutam, vespere non habentem, & successionem non admittentem, eum illud nunquam finiendum, ac senii expers. Necessario igitur ecclesia erudit alumnos suos, vt stantes preces absoluant,

quo per assiduum commonefactionem vitæ non desituras, viaticorum ad illam transmigrationem parandorum non negligentes simus. Sed & totus quinquaginta dierum numerus, Pentecostes appellata, resurrectionis, quam in illo saculo expectamus, monumentum est: vna enim illa, & efficit. Ex prima enim initium iumentis, in principum desinit per similes intermedios quinquagies euoluta. Vnde & signis initium iumentis, & in eadem desinens, in qua erecti figuram in adoratione pretere ecclesiæ leges non erudiamentem nostram à presentibus ad futura. Quin & quoties genua fleximus, & rursus erigimus, & quoties quod propter peccatum in terram delapsi sumus, & per benignitatem eius, qui condidit nos, ad celum reuocati sumus. Hæc Basilus, & his similia Augustus ad Ianuarium Epistolæ *cap. 15.* Diuus item Ignatius Epistola 3. ad Romanos, *cap. 15.* diem resurrectionis appellat, ad Regalem, omniumque supremam, ac de ea Psalmographus cecinit scribit in finem pro octaua. Sed & octauam in Psalmorum inscriptionibus significare statum futuri seculi docet Nyssenus in *Psalmos, & in tractat. de octaua.* Ex quibus plane intelligitur definitio concilij Nicæni canone 20. & canon. quoniam. de consec. dist. 1. 3. vbi fidelibus Christianis iniunguntur, vt diebus Dominicis, & in diebus Pentecostes stantes ad orationem vota Domino reddant. Idem fieri debere in omnibus festiuitatibus, quæ iure precipua censentur, docet Alex. Pontifex in *cap. 2. de feriis.* quo in loco interpretes idem adnotant: & Card. sancti Sixti in *dist. ca. quoniam.* Cui equidem canon, & Diuus Basilio conuenit Martinus Bracharenis Episcopus ex Synodo Gregoriorum *ca. 57. & cap. vltim. 30. dist. 1. Diuus Ambrosius in sermon. 61. capit. scire. 76. dist. 1. concilium Turonense ca. 37. & Burcharius lib. 3. capit. 235.* apud quem *lib. 13. ca. 3.* ex Synodo Aurelianiensi, *ca. 14.* idem obseruamus, quod modo ex Alexandro Pontifice adduximus. Verum & die Dominicæ solennitatem, ac celebrationem mire commendat Synodus Maticonensis *2. ca. 1.* & retulit Martinus Bracharen. in *dist. ca. vltim. canonibus Apostolorum institutum esse, quod Dominicis diebus, & à Pascha ad Pentecosten minime genu fleximus, sed & diem Dominicam Platonem diuinalie in 10. de Repud. testes sunt Clem. Alexandrin. in 5. lib. Stromat. & Euseb. in 12. de præp. euangelic. c. 7.* quibus omnibus diligenter obseruatis non temere opinabimur, hanc diei Dominicæ festiuitatem ab Apostolis diuina institutione edoctis, constitutam fuisse: eam etenim legitimam traditionem ecclesiasticam semper in ecclesia catholica sanctificatam fuisse, vt tandem licet ab humano instituto Apostolorum processerit, & originem duxerit, quod quibusdam placuit, nimis indecorum esset, eam ab ecclesia mutari, vel tolli, nec id permittere Spiritus sanctus, cuius inspiratione que tot seculis, à tot sanctis patribus, & Pontificibus sunt exactissime obseruata circa religionis cultum, decorem, & ministerium, instituta, ac decreta fuisse, satis appareat, quemadmodum probari poterit ex his, quæ Diuus Basilius in *dist. ca. 27.* & alii veteres Theologi de traditionibus ecclesiasticis scripserunt. Idem erit respondendum de festo Paschæ, resurrectionis, & Pentecostes. De die Natalis Domini ac redemptoris nostri Iesu Christi, idemque aliis festiuitatibus his similibus, quas ab initio legis euangelicæ, ab ipsaque ætate Apostolorum celebratas fuisse constat ex veterum lætione, qui obiter plurimum festiuitatum meminere, asseuerantes, eas ab Apostolis institutas fuisse. Idem etenim de festo Paschæ asserunt Hilarus in prologo *Psalmi.* Clemens in *Epistol.* Hieronymus super Mattheum *ca. 25.* & Tertullianus in *lib. 2. ad vxorem.* rursus idem Hieronymus aduersus Vigilantium, extat & octauus Apostolorum canon. De Pentecoste Diui Pauli extat locus *1. ad Corin. ca. 16. & dist. 14. 20.* vbi Beda, Ambrosius super Lucam, & Origenes contra Celsum. De festo Parasceues, hoc est, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & missionis Spiritus sancti, Diuus Augustinus ad Ianuarium, & de Cæna Domini ex *1. ad Corin. c. 11. illi e Rhemigijs, Isidorus li. 1. de officiis. ca. 28.* de his omnibus Th. Waldensis *lib. de sacramentalibus. ca. 141.* atque etiam de festo Parasceues Origenes paulo ante citatus, & Sozomen. *lib. 2. hist. ecclesiast. c. 11.* de Epiphaniæ festo Ammianus Marcellinus sub Constantino Casare *lib. 21.* qui ita eius celebritatis meminit, vt plane sentiat, multo ante id temporis à Christianis celebratam eam diem fuisse.

erit obseruandum, clericū posse, vbi priuatim soluit preces ab Ecclesia sibi inunctas, die à vespere diei præcedentis ad mediā vique noctē diei sequentis obseruare. Quod asseuerant Florentinus 3. part. tit. 13. capit. 4. §. 4. Angelus, in verbo, hora. §. 21. Syluester in verbo, hora. q. 19. Caietanus in verb. horarum. §. quo ad quartum. modo ante mediā noctem diei præcedētis matutinum tantum officium dicatur, eodem Caietano auctore, & Florentino 2. part. tit. 9. capit. 12. §. 3. col. 5. Sed quo ad vsum carniū dies incipit morē Romano à media nocte. gloss. in capit. 1. de consecra. dist. 3. optime Panormit. in capit. 2. de feris. qui doctē interpretatur Leonis Papæ responsum in cap. de usu carniū. de consecra. dist. 1. tertia. Eadem ratio diei moribus recepta est ad obseruandos dies festos cessatione operum feruiliū: nam ad eundem effectum dies incipit à media nocte: & in media nocte finitur: qua in re plurimum valet consuetudo.

De vigiliis extat Dini Ambrosij locus in sermone 60. de festo Pentecostes, apud Gratianum, 76. dist. ca. nosse. Noctē, inquit, credo vos fratres: non minori lætitia celebramus diē Pentecostes, quam diē sanctū Paschæ celebrare curauimus. Tunc enim sicut modo fecimus, ieiunauimus, & Sabato vigiliās celebrauimus, orationibus pernoctantes instituimus. Hæc Ambrosius. Et Hieronymus super Matthe. cap. 25. inquit: Traditioni Iudæorum est Christū media nocte venturum in similitudinē Ægyptii temporis, quando Pascha celebratū est, & exterminator venit & Dominis super tabernacula transit, & sanguine agni postes nostrarū frontium consecrati sunt. Vnde reor, & traditionem Apostolicam permansisse, vt in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere nō liceat expectantes aduentum Christi, & postquam illud tempus trāserit, securitate præsumpta, festum cunctis agentibus diem. Vnde & Psalmista dicebat: Media nocte surgebam ad consistendum tibi super iudicia iustificationis tuę. Psalm. 118. Hæc Hieronymus Lactantius libro 7. capit. 19. inquit: hæc est nox, quæ à nobis propter aduentum Regis, ac Dei nostri privilegio celebratur. Cuius noctis est ratio, quod in ea vitā tunc recipit, eū passus est. Hæc ille, qui maxime errat in aliis rationibus, quas adducit. Meminit & earundē vigiliarum Tertullianus libro secundo ad uxorem. Quis enim inquit, sinat coniugē suam visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque turgida circuire? Quis nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique solennibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad conuiuium Domini illud, quod infamant, sine sua suspitione dimittit? Hæc & alia Tertullianus, qui & Stationem Christianorum meminit. Tractum enim, vt illic docet Rhenanus: & usurpatum vocabulum istud à Romana militia hæsit in vso Christianorum. Faciebant Stationem milites, præsidium certo loco agitates, vnde & stationarii dicti. Christiani nunc in hac basilica nunc in alia conuenientes, nonnumquam apud martyria, hoc est, Martyrum sepulchra, Deum stantes & attentū precabantur. Id præcipue fiebat die Dominico. Sic Tertullianus diem de corona militis, de milite Christiano loquens, iam, inquit, & stationes, aut alii magis faciet, quā Christo, aut & Dominico die, quando nec Christo. Stationis vocabulum in hoc sensu non ignotum vrbi Romanæ, ex antiquitate relicū, ipsa etiā obseruationi veteri per manus tradita, ac retenta. Hactenus Rhenanus: de eisdem stationibus Dinius Ambrosius sermone 25. inquit, Denique stationes vocantur, quod stantes, & commorantes in eis, inimicos insidiantes repellamus. Verum pernoctationes istas & vigiliās apud Ecclesias, non ita facile admittunt Episcopi ea ratione quod experimento cognouerint, frequentissime vigilantes templis abuti, eaque temere, ac passim multis sceleribus, crapulis, & ingurgitationibus polluere in maximum Christianę religionis dispēdium, & grauem ignominiam: atque ideo vigilię, quę olim apud Christianos erant in vso in solennitate paschæ, & ad Martyrum sepulchra, sublatae sunt Episcoporum, & Pontificum auctoritate, nomine distaxat superflue. Sic Elibertina Synodus canon. 35. prohibuit, ne Fœminę in cœmeterio peruigilent, eo quod sepe sub obtentu orationis scelera latentē committant. Nam & Romulus cum suos ciues sæpe cōuenire vellet religionis causa, & hos conuentus virorum, ac fœminarum castos esse optaret, nocturnas virorum, & mulierū in templis peruigilationes, & arcanas Bacchi initiationes summonit, teste Dio-

nyso Halicarnassæo libro, secundo. nec id suis legibus omisit Cicero, qui lib. 2. ita statuit: Nocturna mulierum sacrificia ne sunt præter illa, quæ pro populo rite fiunt, & libidinosi comici. Quæ licentia Romę data, quidnam egisset ille, qui in tiam quidem oculorum adici fas fuit. Hæc ille, & alia, quæ ad hanc rem maxime pertinere videntur. Conicos autem & libidines, quæ a comicis, & tragœdiis referuntur in nocturnis sacris contigisse, vt à Plauto in Aulularia. Euripide in Bacchis. Eupolide in Baptia: sicuti adnotant Franciscus Balduinus super Komuli legem 8. Notat & Cicero Clodium, qui libidine sua sacra Bonæ Deę contaminare conatus est, cuius rei præter alios Plutarchus in Cesare & in Ciceroe meminit. Subindicat Senatusconsultum idem Cicero, quo anno ab vrbe condita 568. Consulibus Sp. Posthumio Albino, & Quinto Martio Philippo, sacra nocturna, nefandæque illa bacchanalia, quæ in vrbe creperant, referente sapientissimo Consule Sp. Posthumio, sublata omnino fuere. Cuius rei extat mentio in lignis apud Liniū 4. dist. lib. 9. Nocturna quę omnia sacra, & peruigilationes vetat Aristophanes facetissimus veteris comedię Poeta: eaque in mediæ Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nec mirum erit, easdem peruigilationes, quę à Christianis olim fieri solebant, sublatae ex eo fuisse, quod nō semper fuerint castæ. At Dinius Hieronymus aduersus Vigilantium, & in Epistola ad Riparum presbyterum has peruigilationes, quæ tunc apud Martyrum sepulchra, & in Paschæ solennitate à Christianis fieri solebant, pie profecto, sancte, & eleganter defendit. Quis enim posset ab ique grauissimæ calumniæ, & hæreseos nota, sanctissimos Christianorum religionis causa conuentus improbare? Potius etenim summis laudibus extollenda est virorum, ac fœminarum in Deum, & in Martyres sacratissimam; virginem Dei genericem pietas: vt si fieri posset religiose, & caute, omni submota libidinis suspitione, pernoctationes istæ permittendę sint à Pontificibus, & Episcopis: error tamen, culpa iuuenū, vilissimarūque mulierum, qui per noctem sepiissime in his peruigilationibus deprehensus est, efficit equidē, vt omnino fuerint hæ pernoctationes sublatae, idque sancte factum esse nemo, qui presentis sæculi mores nouerit, audaciamque delinquendi exacte prespexerit, poterit nō fateri, & dubio procul Pontificū & Episcoporum diligentiam in præcauendis sceleribus nō laudare. Iure tamen Vigilantium à Hierony nō incusatur, quod peruigilationes Christianorum ad Martyrum sepulchra iam probauerat non tam propter crimina, adulteria, & scelera vitanda quam propter sanctorum Martyrum venerationē, & cultum animo hæretico à priorum mentibus submouendum. Eadem ratione à Gentilibus tempore Tertulliani sanctissimis Christianorum conuentus bacchanalibus conferebantur, quod Ethnici existimarent, Christianos in his conuentibus fœda illa excitare crimina, quæ olim ab ipsis Gentilibus impie in tenebris religionis prætextu committebantur. Extat & de nocturnis sacris Constantij Imperatoris constitutio lib. 16. Codic. Theodosiani, quæ quinta est ad Cerealem P. V. his verbis: Abolentur sacrificia nocturna, Magnentio auctore permilla, & nefaria deinceps licentia repellatur. Dat. IX. Calend. Decemb. Constantio A. VI. & Caesar. II. cos. Quam constitutionem ipse intellexerim non de nocturnis Christianorum sacris, & peruigilationibus: nā & illæ tunc, & post permilla fuerunt, & licite fiebant, teste Hieronymus. sed de nocturnis, fœdissimisque Paganorum sacrificiis, quæ permiserat Magnentius ille impius tyrannus: qui tandem victus à Constantio Ducibus, primum eius matrem, deinde fratrem, postremo seipsum occiderat eodem anno, quo data est lex prædicta nempe ipso Constantio VI. & Gallo Cesare II. Consulibus. auctore Socrate li. 2. c. 37. Sozomeno li. 4. c. 7. & Nicephoro li. 9. c. 23. huic opinioni accedit ipsius tituli Rubricæ, quę de paganis sacrificiis, & templis inscribitur: & tandem l. 7. eiusdem tituli. quis paganorum sacrificia diurna, nocturna quę grauissimis prohibet penis.

Præter hæc commemorare libet, quæ de peruigilationibus Eusebius lib. 2. Eccles. hist. ca. 17. scribit post Philonem, qui proximus Apostolorum temporibus, imo qui ad colloquiū Petri Romæ diuini verbum concionantis, vperique testantur, petuenit, de monachis Christianis in Agypto librum edidit, cui titulus est, de vita contemplatiua, au de supplicibus

vel auctore Suida, de vita Christianorum: inquit enim Euseb. quid autem his addere oportet horum in vnu conuentus? Scortum quidem mulierum, foris etiam virorum frequentes conuersiones, solitaque, & stata exercitia, quae etiam nunc nos soli, & maxime vna cum inedia, cibique abstinentia cum precibus, & cum diuinorum oraculorum meditatione in peruigiliis, & orationibus salutiferis passionis feruis, & magna solemnitate pernoctationibus celebrare consueuimus. Idem de peruigiliis ad Martyrū sepulchra eas commendans meminit Theodoritus lib. 2. *Eclesiast. hist. c. 24.* quae si modo seruet ea pietate, qua tunc fiebant, iure optimo possessione summis Pontificibus, & Episcopis permitti, imo esse permittenda.

Sexta conclusio: Hoc sanctificationis dierum praecepto exterior tantum Dei cultus, pura corporalis requies ad famulandum Deo praecepitur, non autem interna dilectio, aut contritio, nec interior operatio. Hanc conclusionem deducimus ex S. Thoma 2. 2. q. art. 4. Cuius sensum diligenter scrutatur, & probat Dominicus Soto lib. 2. de iustit. & iur. q. 4. art. 4. & probatur haec opinio ex eo, quod sub praecepto legis diuinae, vel humanae, quamuis cadat, & contineatur actus virtutis, finis vero legislatoris, aut modus virtutis non continetur, nec est sub legis ipsius vinculo, & obligatione: quod ad modum docuere idem S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. & q. 69. art. 3. & 2. 2. q. 44. art. 1. 4. & S. Caietan. ubique Palud. in 3. sent. dist. 37. quest. 1. col. 3. & ibi Ioann. Maior quest. 13. nos item hac de re multa scripsimus in c. Alma mater. de sentent. excommuni. in 6. in prioribus partibus. §. 5. Igitur internus cultus, qui ad contritionem pertinet, & ad dilectionem Dei, quo velut in finem tendit legislatoris mens, non est sub ipsius legis vinculo. Ad haec accedit, quod ecclesiasticum institutum, quo cultus hoc praecepto iustus per hoc determinatur, quod est missarum solennia audire cum decenti reuerentia, & attentione, ut sit actus humanus. cap. missa. cap. omnes fideles. de consecrat. dist. 1. ad cultum nos tantum externum obligat, & arctat ergo palam est, in praecepto diuino non esse alium actum comprehensum, cum aliqui nisi illum explicaret, non esset ecclesia fida diuini iuris interpret. Est & alia huius assertionis ratio, quod huiusmodi praecepta, quibus aliquid iniungitur, non obligant ad charitatis modum, sed possunt quantum ad substantiam operum extra charitatem impleri, ut euitetur peccatum: ergo praeceptum hoc quo ad substantiam operum feruatur, & adimpletur, ut & alia praecepta extra charitatem: nec ex eo tenetur quis in die festo se ad gratiam praeparare. Et propterea praeceptum dilectionis Dei non est in Decalogo inclusum, sed extra in fronte praefixum tanquam omnium praeceptorum finis: nisi modum charitatis consideremus, non ut est singularis obiecti, sed ut est vniuersalis conditio omnium virtutum. Hac etenim ratione considerata dilectio Dei, licet sit finis omnium praeceptorum 1. ad Timoth. 5. finis praecepti charitatis, non includitur in quolibet praecepto Decalogi, quamuis in omnibus, ut finis praemittatur. S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 4. & 2. 2. questio. 44. art. 4. & questio. 79. articulo 2. & Caietan. 2. 2. questio. 46. art. c. 8. nec tenetur quis parentes honorare ex Dei charitate, sed fatis illi erit, ut adimpleat praeceptum quo ad substantiam operum, si parentes honorauerit exteriori reuerentia, nec transgredietur praeceptum de honorandis parentibus, licet eam reuerentiam praestiterit in peccato, mortali. Verum si consideremus dilectionem Dei, ut est singularis actus peculiaris virtutis amandi, sicut est alius actus sperandi, alius actus credendi, nempe cuius contrarium est formaliter odisse, tunc actus charitatis cadit sub singulari praecepto, nempe sub hoc: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum: si eui docet S. Thomas 1. 2. questionibus 100. articulo 10. illumque secutus Dominicus Soto de iustit. & iur. lib. 2. questio. 3. articulo 10. Fit igitur, hoc praeceptum Decalogi minime transgredietur quis ex eo, quod in diebus festis peccatum aliquod mortale commiserit. Vnde illud euidenter consequitur, non teneri quem in confessione sacramentali confiteri tempus diei festi, quo crimen aliquod commisit, sed illi satis erit peccatum ipsum confiteri, quod nos probare conati sumus in dict. §. 3. quo in loco meminimus plurimum auctorum, qui hanc sextam conclusionem improbarunt. Qui vero actus possint licite in diebus festis fieri, diligenter explicant syluester, Caietan. & alij, in verbo festum. Dominicus Soto in dict. questio. 4. articulo 4. a quo pluribus ratio-

nibus adductis haec fuit tractata controversia, quae agit de interiori cultu festorum. Erit etenim summa huiusce disputationis, hoc praeceptum habere duo membra, alterum negatiuum, quod est cessare a seruilis opere, alterum affirmatiuum, quod est cultus ab ecclesia praescriptus. Primum vero membrum intelligendum est, ut & omnia moralia praecepta, iuxta planum, & literalem sensum: non secundum translaticium: siquidem in moribus instituendis oportet uti translaticio aut metapharico stylo: & ideo cum peccata in sensu plano, & liberali non sint nec dicantur opera seruilis, & in festis iubeamur cessare ab operibus seruilibus, consequitur necessario, peccata hoc speciali praecepto minime prohiberi. Secundum autem membrum, tantum obligat ad actum exteriorem, & ad interiorem, qui propter exteriorem est omnino necessarius, nempe audire missarum solennia ea attentione, quae illum actum exteriorem humanum efficiat, & religionis opus. Quod in specie adnotarunt Angel. in verb. feria. §. 4. & Caietan. in verb. festor. violatio. qui hanc sextam conclusionem optime probat 2. 2. quest. 122. articulo 4. Cui parum obicit quod illic S. Thomas scripsit asseuerans, peccata vere aduersari obseruantiae festorum: quia ea opinio est intelligenda non quo ad substantiam praecepti, sed quantum ad eius finem. Vere etenim peccatum aduersatur fini huius praecepti & aliorum. Nam, ut de hoc tractemus, praeceptum istud institutum est ad vacandum Deo, & rebus diuinis, cui equidem fini magis pugnat peccatum, quam opus seruilis, & tamen substantiae praecepti magis pugnat opus seruilis quam peccatum. Quae ratio quod idem S. Thomas subdit, a Christianis Sabbathum seruandum esse spiritualiter, est omnino accipendum quo ad intentionem praecipientis, & finem ab eo significatum, non quod ea obseruatio sit de substantia praecepti, ut qui sic non seruauerit, transgressor sit illius.

CAPVT XX.

De Ieiuniorum, quae Catholica Ecclesia Christianis indixit, obseruatione, & origine.

SUMMARIUM.

- 1 Ieiunium ecclesiasticum maxime differt à communi usu, & exercitio moralis abstinentiae.
- 2 Ieiunium, an sit iure naturali, diuino, vel institutum?
- 3 Ieiunium qua ratione sit iure humano inditum.
- 4 De ieiunio quadragesimo, & eius institutione.
- 5 Socrati historici locus expenditur.
- 6 Sexta Synodi canon intelligitur.
- 7 Interpretatio cap. quadragesimo de consecr. dist. 5.
- 8 De ieiunio quarta feria, sexta, & Sabbati.
- 9 De ieiunio Quatuor temporum.
- 10 Praeceptum de ieiunio obligat eius transgressores ad mortalem culpam.
- 11 Vnicui tantum prandium licitum est in diebus ieiunij: & an eius quantitas ieiunij legibus adhaeratur?
- 12 Finis legis an includatur, & contineatur sub praecepto?
- 13 An tertium, vel quartum prandium noua transgressionis reatum inducat in eodem die, quo ieiunium praecipitur?
- 14 De hora prandij, & de distinctione horarum diei.
- 15 De cibis, quibus ieiunantes interduntur.
- 16 De ieiunio Rogationum, & de illo triduo.

Quamuis ex sola naturalis rationis cognitione, absque villo diuini, vel humani iuris praescripto, ieiunium qua ex parte ad abstinentiam morale pertinet, fuerit olim, & Ethnicis Philosophis plane cognitum, ut quilibet iuxta rectam prudentiam rationem ad tuendam bonam valetudinem, ad sensum & intellectum illustrandum, saltem ne nimia ciborum ingluuie temere quis in morbum corporis, vel animi incidat, teneatur temperantia, & mediocritate prudenter uti: praestantius tamen multo Christianis, & his, qui veram Dei cognitionem habent, ieiunium est legibus institutum, multis titulis, & nominibus maxime commendandum, etiam si haeretici, qui nunquam ecclesiam infestare cessant, & hoc sanctissimum opus euertere sberint conati, quorum impiis conatibus viri sanctitate, & doctrina insignes resisterunt olim, & aduersus Lutheranos nunc resisterent Deo duce satagunt, omnique studio moluntur. Horum scripta tot locis ex sacra scriptura selectis, tot sanctorum patrum testimoniis adductis, vberem adeo huiusce rei tractatum continent, ut hoc in loco ad illorum lectionem Christianae Theologiae studiosum abegantes pauca quaedam obseruare constituerimus in eorum vtilitatem, qui iuri Pontificio, & Cesareo tantum operam dederint.

Prima conclusio: Ieiunium quo Christiani utimur, quodque vni fuerit sancti patres, maxime differt à communi